

A tertio verò gradu latitudinis australis Septentrionem versus, per totum mare Arabicum ac Indicum, & Sinum Bengalensem, à Sumatra ad usque litus Africæ, alia regnat motio, spirans ab Octobri quidem ad Aprilem è punctis Euro-boreæ (*Nord-Ost*) at reliquo semestri, ab Aprile ad Octobrem, è plagis oppositis Zephyro-noti (*Sudwest*) ac Africi (*West-Sudwest*) idque majori cum impetu ac cœlo nubilo & pluvioso; cùm è diverso Euro-boreæ flatus (*Nord-Ost*) sereniores esse soleant &c. quæ omnia, cum specialioribus plurimis, enarrari nostrum institutum non depositit, à nautis verò accuratissimè observari receptum est, ac omnino necessarium ut ad illarum Motionum tempora attendant itineri suo consona, quò vento utantur secundo & profectioне expeditâ, neve, moras nētendo & elabi tempus suum passi, donec contraria semet ingerat motio, cogantur spem resignare perficiendi itineris propositi, & vel ad portum reverti unde exierant, vel aliquorsum interim divertere ad tenendum ibi tempus, donec venti redeant ipsis propiti.

PHÆN. XIV. Sunt & alia ventorum ac tempestatum particula-
ria intra Zonas torridas, vel stata vel perpetua, non penitus hīc
prætereunda. E. g. (1) Frequens illa *malacia* sub oram Guineæ
australem, cuius & *Varenius* Prop. XVI. cit. l. & *Hallejus* in relatio-
ne sua fusi meminerunt, cum obortis subinde flatibus, quos *Tor-
nados* i. e. in orbem eentes, appellant; Siquidem à latere æquato-
ris boreali, inter 4. ac 10. gr. lat. ac intra Meridianum Promontoriū
viridis & Orientaliores Insularum cognominum, tractus maris oc-
currit ad perpetuam fere malaciam damnatus, quam horrida toni-
trua & fulgura comitantur, ac pluviae tam frequentes, ut nautæ
Angli eam maris partem abinde *Imbres* (*the Rains*) appellant; sub-
inde verò ventuli sive flatūs incerti subitoque nati interstinguunt,
perquam exigui ambitūs & parum durantes, ut singulis ferè horis
alius atque aliis flet ventus mox in malaciam desinens, quorum
ope meliorem viæ partem per illos 6. gr. meridiem versus capere
navibus necessum est, haut raro integrō menses ibi detentis ac vix
tandem enitentibus. (2) *Ecnephiae*, h. e. subitanei & impetuosi
venti ex nubibus erumpentes, inter Brasiliam & Africæ procul-
lē crebri, Aprili, Majo, & Junio maximè insignes, prope oram
Lowango autem Januario, Februario, Martio, alibique aliis men-
sibus frequentes. (3) Venti certo anni dierumque tempore in lo-
cis maritimis è mediterraneis ad litora versus spirantes (quos

C

Lusi-